MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (TEIL II)

Zwettl, 1. Viertel 13. Jh.

Seite 150r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

vel confabulatio sine litis periculo. quod discrimine caret. non noti, non affines, non nutrices, non vernaculi qui tecum sunt, inuiti erunt vel affabiles. periclitatur auditor et quicquid simpliciter egeris malis suspicionibus cohoartatur. Respondens domitilla ait: Scio matrem meam passam patrem meum zelotipum. hac in iuriis perpessa longa fatigata. Numquid nam et ego talem habeo? Achilleus dixit: Omnes sponsi antequam sponsas suas accipiant humiles se et mansuetissimos fingunt. postea vero quales se celauerint produnt. Et si luxoriosi fuerint, ancillas diligunt easque dominas suas contempnentes et pro nichilo habentes. superbia iracundia contentione defendunt. et hoc non tantum verbis sed etiam verberibus ulciscuntur. Et cum iniuriosus sermo a propria matre dictus vix sufferri potuerit. pugni inter durissimi iuncti ictibus calcium ingeruntur. Sed esto quod neque luxuriosus sit neque zelotipus. sed potius probetur lenis et blandus. Videamus nunc que pro certo mulierem incomoda subsequuntur. Conceptum enim in utero pondus die noctuque portabit inuita. quo pondere efficietur egra. tumens pallida. vix suis pedibus incedere prevalens. et ciborum utilium proferens fastidia. cibis noxiis delectatur. Non numquam etiam sinus ipse interior aut habundancia sanguinis inflammatur. aut tumoris inmutatione calescit. aut siccitatis macie constringitur. aut pinguedine coartatur. ex quibus casibus intra uteri secreta concepto homini morbi nascuntur. ex quibus solent debiles nasci. curui et claudi. Plerumque etiam in ortu suo positi a tenore recto uersantur. et non solum mulierum oculis feminarum occulta manifestantur. sed et etiam virorum ignotorum parte medicine nudantur. ita ut soleant partibus proferri membra concepti. quam matrem suam antequam nascatur interficit. cum ipse prius incipiat occidi quam nasci. Solet etiam aut strabus aut mutus. aut plenus fieri vulneribus. aut etiam cum demonio procreari. ut prius querere exorcistam necesse sit quam nutricem. Respondens autem Nereus dixit: O quam beata est sancta virginitas. que ab his omnibus est necessitatibus aliena. et est deo amabilis et in omnibus angelis cara. quia qui habet similis est deo. qui autem habet similitudinem dei ideo non habet. quo integritatem perdidit et corruptionem invenit. Cuius quidem reatum per penitenciam mulier evadere potest. ipsam vero integritatem penitus recuperare iam non potest. Heu quante amentie est velle subdere se libidini aliene. heu quam nimie inconsiderationis est. ut qui poterat cum gaudio et laudibus hominum et angelorum integritatis expectare premium et coronam perpetuam. cum planctu penitencie propria pollutione querere. ut ad indulgentiam mereatur pervenire. Omnis namque sanctitas cum per aliquam voluntatem aut necessitatem amissa fuerit ad statum suum per penitenciam et ad suam gloriam revocari potest. sola virginitas ad statum suum penitus revocari non potest. Reatus autem per lacrimas penitentie expelli potest. ipsa vero integritas ut diximus revocari penitus non potest. Omnia quo perdita recuperari possunt. sola virginitas si semel perierit recuperari non potest. ita ut ad statum pristine sanctitatis attingat. Neque enim per penitenciam suam mulier cum ad indulgentiam facti sui pervenerit. poterit etiam ad hoc pertingere ut virgo fiat quod creata est: cum semel amiserit integritatem cum qua nata est. Satis amica deo patri et filio et spiritui sancto familiaris probatur esse virginitas. Nam sic regine persona omnium nobilium et illustrium matronarum ante fertur: ita virginitas omnium virtutum dignitates antecedit. ita ut secundum locum post martyres teneat. et sit inter virtutes ceteras prima. Serviunt enim illi universe virtutes. et quasi auguste cubicularie sue ita obediunt imperiis suis. Blanditur ei fides. amplectitur eam spes. osculatur eam caritas. et omnes que astant in conspectu regis celorum id est patientia. perseverantia. constantia. hospitalitas. [...]mia sollicitudo. scientia. veritas. probitas. tolerantia. omnesque iste que sunt memorate et cetere que minus sunt memorate virtutes famulantur ei. et inter frondes paradysi et vite eterne inmarcescibiles flores inter nemora angelorum et prata ambrosia et sanctis odoribus exhalantia. qua vita eterna naribus assumitur. vero aer ipse hac habet odoramenti virtutem. ut qui eum naribus suis assumpserit. ultra tristis esse non possit. nec dominationem in eo exercere infirmitas. nullus dolor. nulla tristicia. sed semper erit gaudens et exultans anima. semper iocunda. et de vite sue perpetuitate secura. Ad hec achilleus dixit: Hec que frater meus commemorat parua sunt. et quasi de fluvio immenso unum sextarium sumat. aque in mense signum tenens. ipsius autem aque mensuram colligere computando non prevalens. ita et vite illius que futura est gaudia et delicias nullus sermo explicare sufficiet nulla cogitatio in